

Quamvis ibi possit etiam verbum *faciendi* in alia significatione pro verbo observandi sumi.

3. Juxta hanc etiam priorem acceptionem intelligi potest Paulus, cum inclinationem sentientis appetitus legem membrorum, et legem peccati appellat, ad Rom. 7, quam D. Thomas, dict. quæst. 90, a. 1, ad 1, et q. 90, a. 6, legem fomitis appellavit. Declarat autem ibi, fomitis inordinatam inclinationem vocari legem: non formaliter, ut lex est mensura, sed participative, ut solet dici de mensurato per legem. Unde sentit D. Thomas inclinationem appetitus secundum se non vocari legem, sed quatenus ex lege Dei puniente privata est rectitudine originalis justitiæ propter peccatum originale. Nam hoc modo inordinatio fomitis non est mere naturalis, sed est poena peccati, et ita dicitur lex tanquam effectus divinæ legis. Quod etiam videtur sensisse Augustinus, lib. 1 ad Simplic., quæst. 1, dicens: *Quam sarcinam prementem, et urgentem, ideo legem appellat, quia jure supplicii, divino judicio tributa et imposita est, utique removendo justitiam, quæ contrariam rectitudinem tribuebat.*

4. Sed, licet hæc vera sint, nihilominus videtur ipsa inclinatio appetitus, ut mere naturalis est, posse vocari lex eo modo, quo inclinatio naturalis æque lex appellatur. Sic enim in homine in puris naturalibus esset illa lex fomitis, licet non esset poena peccati. Item etiam nunc videtur fomitis propensio vocari lex non solum, quia effectus legis, sed etiam quia est quasi mensura et regula sensualium motuum, et ideo a Paulo lex membrorum vocata est, quia membris corporis specialiter dominatur: unde est illud Augustini, lib. 5, Genes. ad lit., cap. 10: *Molum illius legis, quæ repugnat legi mentis, in membris suis habere meruerunt.* Et inde etiam lex peccati vocata est, non solum quia est ex peccato, sed etiam quia ad peccatum inclinatur. Hoc autem modo non fuit in Adamo hæc lex ante peccatum, quia licet appetitus sensitivus ejus non careret sua naturali inclinatione, per se non operabatur, nec dominabatur ullo modo, nec erat regula, aut mensura aliquorum motuum, sed legi mentis omnino subjecta erat. Sed de metaphoricis locutionibus hæc sufficiunt.

5. Secunda acceptio legis magis propria est: nam ars est opus rationis, et ideo mensura ejus proprius potest legis nomine significari: et ita solemus distinguere leges militiæ, mercaturæ, etc., ut D. Thomas, d. art. 6, notavit. Et regulæ congrue loquendi solent leges grammaticæ appellari, et sic de aliis artibus. Ta-

men sicut rectitudo artis respectu creaturæ rationalis est rectitudo secundum quid, ut 1. 2, quæst. 86, D. Thomas declarat, ita lex artis solum potest dici lex secundum quid. Propria ergo et absoluta appellatio legis est, quæ ad mores pertinet: atque ita restringenda est D. Thomæ descriptio, ut scilicet lex sit mensura quædam actuum moralium, ita ut per conformitatem ad illam, rectitudinem moralem habeant, et si ab illa discordent obliqui sint.

6. *Quæ sit propria et vera lex.* — Quocirca quamvis interdum iniqua præcepta, seu regulæ, soleant legis nomine significari, juxta illud Isai. 20, *Væ qui conditis leges iniquas,* et illud Aristotelis, 4 Ethicor., cap. 1: *Mala lex est, quæ tumultuarie posita est,* qualis est illa, quæ vulgo dici solet, lex mundi, lex duelli, et similes; licet (inquam) hoc ita sit, nihilominus proprie, et simpliciter loquendo, sola illa quæ est mensura rectitudinis simpliciter, et consequenter sola illa quæ est regula recta et honesta, potest lex appellari. Ac propterea dixit D. Thomas, dict. quæst. 90, art. 1, et quæst. 96, art. 4, turpe præceptum non esse legem, sed iniquitatem; et Augustinus, lib. 1 de Lib. arb., cap. 5: *Mihi lex esse non videtur, quæ justa non fuerit.* Idemque de jure asserit, lib. 19 de Civitat., cap. 21. Imo etiam Cicero, 2 de Legibus, dixit legem condi debere ad vitam justam, quietam et beatam: et ideo qui leges injustas condiderit, quidvis potius tulisse quam leges. Quod etiam late confirmat Plato in dialogo citato: et ratio etiam ex dictis manifesta est, quia lex est mensura rectitudinis: lex autem iniqua non est mensura rectitudinis operationis humanæ: nam potius actio illi conformis iniqua est: non est ergo lex, sed participat nomen legis per quamdam analogiam, quatenus in ordine ad aliquem finem præscribit certum operandi modum. De qua re plura inferius dicturi sumus.

7. Atque ex his satisfactum est rationibus dubitandi quoad duo priora capita: nam lex in præsentia dicitur mensura, non quorumcumque actuum, sed moralium, quoad bonitatem et rectitudinem eorum simpliciter, ratione cujus ad eos inducit: quomodo dixit Clemens Alexandrinus, lib. 1 Stromatam, *legem esse regulam justorum et injustorum.* Ultima vero objectio postulat differentiam inter consilium et legem, quæ longam habet cum hæreticis disputationem, non tamen ad hunc locum pertinentem. Dicunt ergo aliqui, legem dupliciter accipi: uno modo pro præcepto

obligante, et sic distingui a consiliis: alio modo, pro quocumque dictamine rationis de honestate actus, et sic dicunt legem comprehendere consilia: nam D. Thomas, 1. 2, quæst. 19, art. 4, dicit, omnem actum bonum pendere in sua bonitate a lege æterna: actus autem consiliorum boni sunt et optimi: ergo comprehenduntur sub lege æterna. Proprie tamen loquendo de lege, ut hic loquimur, illa non est, nisi quæ aliquam obligationem inducit, ut infra latius dicam.

8. *Differentia inter legem, et consilium.* — Est autem considerandum, aliquando dari legem de exercitio actus, et tunc obligare ad illum, ut est, verbi gratia, lex faciendi elemosynam: aliquando vero dari legem solum de specificatione, seu modo actus, quæ licet non obliget ad actum exercendum, obligat tamen, ut si actus fiat, talis modus servetur, qualis est, verbi gratia, attente orandi, quæ licet non obliget ad orandum, obligat, ut si oratio fiat, cum attentione fiat. Hoc igitur posteriori modo in universum verum est, quod D. Thomas proxime citatus dixit, omnem actum, ut bonus sit, debere esse conformem legi æternæ, scilicet, præscribendi debitum modum operandi, quod etiam in operibus consilii locum habet: tamen ut sic non dicuntur esse sub consilio, sed quatenus eorum usus, seu exercitium non præcipitur, sed consulitur. Et hoc modo absolute negandum est, consilium sub lege comprehendendi: excluditur autem consilium a descriptione data, vel quia non est propria regula, et mensura bonitatis actus: nam hæc potius consistit in lege præscribente modum: vel certe quia moraliter loquendo non efficaciter inducit ad opus, imponendo scilicet moralem necessitatem operandi: cum autem lex dicitur inducere ad actum, hoc modo intelligendum est.

9. *Legis etymologia.* — Atque hinc intulit D. Thomas in illo art. 1, quæst. 90, etymologiam legis; putat enim a ligando sumptam esse, quia proprius effectus legis est ligare, seu obligare, quod secutus est Gabriel in 3, dist. 37, art. 1, et Clichtove, in Damas., lib. 4 Fidei, cap. 23, eandem etymologiam legis ex Cassiodoro refert, et probat. Consonatque Scriptura, quæ leges appellat vincula, Jerem. 2: *Fregisti jugum, rupisti vincula.* Isidorus autem, lib. 2 Etymol., cap. 10, et lib. 5, cap. 3, a legendo putat legem esse dictam, quod inde colligit, quia lex debet esse scripta, et ideo legenda est. Sed quia nunc latius de lege loquimur, ut illa etymologia

possit in omnem legem convenire, oportet legendi verbum ad interiorem lectionem, seu recogitationem ampliari, ut notavit Alensis, 3 p., q. 26, memb. 1. Nam sicut lex naturalis dicitur a Paulo scripta in cordibus, ad Roman. 2, ita in eis mente legi potest et debet, id est, meditari et recogitari, ut secundum illam mores dirigantur, juxta illud Psalm. 118: *Lucerna pedibus meis verbum tuum.* Et huic etymologiæ consonat nomen hebraicum, quo lex *Tora* dicitur, id est, instructio. Alii denique legem dictam esse putant ab eligendo, vel quia cum magna, et prudenti electione ferenda sit, vel quod unicuique ostendat quid eligendum sit; sic Augustinus, in quæstionibus ex novo Testamento, quæst. 15, si ejus est opus: *Lex (ait) a lectione dicta est, ut de multis quid eligas scias.* Cicero vero, l. 1 de Legibus, a legendo dictam esse declarat: *Quia nos, inquit, delectus vim in lege ponimus, sicut Græci (ait) legem vocant νόμον,* a tribuendo unicuique quod suum est, quia lex debet esse justa; unde alii derivant legem ab eo quod legitime actiones humanas moderatur, ut refert Turrec. in cap. *Lex*, dist. 1, in fine. Itaque hæc omnes etymologiæ aliquid explicant quod vere convenit legi: unde autem vox derivata sit incertum est, et parum refert.

CAPUT II.

Quid Jus significet, et quomodo ad legem comparetur.

1. *Leg. jus naturale.* — *Varie nominis Jus etymologiæ.* — *Prima.* — *Secunda.* — Hujus vocis frequens est in hac materia usus, et interdum pro lege accipitur, ut patet ex § *Singularum*, Instit. de Rer. divis., et l. *Jus naturale*, ff. de Legibus, quamvis interdum aliis etiam modis accipiat, ideoque et illam explicare, et cum lege conferre necessarium est: prius vero advertere oportet tres solere juris etymologias assignari. Prima est, ut jus dicatur quod juxta sit, de qua videri potest Conan., lib. 1, Comment. juris civil. Eam enim omitto, quia mihi non probatur; quia si materiales voces consideramus, non est in ea proportio, cum *Juxta* non per S sicut *Jus*, sed per X scribatur. Si vero significationem attendamus, juxta esse, non significat æquale esse, sed tantum esse prope. Et licet interdum significet similitudinem, vel æqualitatem in aliquo munere, vel actione, illud tamen est in sensu longe diverso ab æquitate quam jus indicat; unde du-

ra mihi videtur et singularis hæc deductio. Secunda, et Latinis magis recepta est, ut jus dicatur a jubendo: nam *jussum* participium est verbi Jubeo, et si a participio *jussum* secundam syllabam demamus, jus relinquitur, vel certe, si illas duas syllabas divides, orationem constitues, qua ipsum jussum seu imperium dicat, se esse jus; seu jus sum.

2. *Tertia*. — Tertia derivatio est, ut jus a justitia dicatur; sic enim dixit Ulpianus, l. 1, ff. de Justit. et jur.: *Est autem jus a justitia appellatum*. Quam etymologiam aliqui impugnant, quia justitia potius a jure derivatur quam e converso: justum enim dicitur quod est secundum jus. Sed hæc ratio non cogit: nam aliud est loqui de ordine, seu derivatione quoad causalitatem, aliud quoad denominationem, seu nominis impositionem; nam priori modo verum est, justitiam derivari a jure (id est, ab eo quod in re justum, et æquum est) in ratione objecti, ac subinde in genere causæ finalis vel formalis extrinsece. Et hoc modo justitia per jus definitur, quia *Jus suum univocum tribuit*, lib. *Justitia*, ff. de Justit. et jur. Nihilominus tamen quoad denominationem, et appellationem juris de qua loquitur jureconsultus, potuit jus a justitia appellari, sicut visus talis est, quia tendit in objectum visibile, et nihilominus objectum denominatur visibile ab ipso visu. Sic ergo justitia et est talis, quia tendit ad constituendam æqualitatem, quam dicimus esse ipsum medium justum, et hoc medium recte potuit a justitia denominari justum: nam illa æqualitas apta est per justitiam fieri, et inde vocatur justa. Inde vero potuit facile derivari jus, dempta ultima parte vocis *justum*, sicut de nomine *jussum* dicebamus. Et ita etiam dixit Isidorus, 5 Etymol., cap. 3: *Jus esse dictum, quia justum est*: Augustinus, etiam in Psalm. 145, circa finem: *Jus (inquit) et injuria contraria sunt: jus enim est quod justum est*. Sicut ergo justum a justitia clare denominatur, ita jus potuit a justo, et justitia denominari quoad etymologiam vocis.

3. Unde idem Augustinus, lib. 19 de Civitate, cap. 21, tanquam principium philosophorum sumit: *Quod illud jus esse dicant, quod de justitiæ fonte manavit*. Quamvis enim jus per modum objecti sit causa justitiæ, in genere tamen causæ efficientis, est effectus justitiæ: nam justitia facit, et constituit objectum suum, sicut aliæ virtutes morales. Illud ergo objectum si in potentia consideretur, posset denominari a justitia justificabile (ut sic dicam),

sicut de visu et visibili dicebamus: tamen illa denominatio non est in usu, et barbara est, et loco illius videtur introductum nomen juris, ut est objectum justitiæ: si autem consideretur illud objectum in actu, sic dicitur justum, et dici potest jus. Sic enim proprie locum habet quod dixit Augustinus, jus et injuriam esse contraria: nam injuria nihil aliud est quam actus injustus: et ita etiam dixit in secundo loco allegato: *Quod jure fit, profecto juste fit*. Unde Bartolomeus, in d. lib. 1, dixit jus in actu esse executionem, et de hoc interpretatur illam legem: verumtamen etiam potest optime intelligi de jure in potentia, seu in habitu, quia (ut dixi) non est sermo de emanatione causali, sed de sola denominatione, sicut scibile denominatur a scientia etiam in habitu. Nihil ergo est incommodi in hac etymologia, et quamvis incertum sit quæ istarum duarum deductionum sit verior, utraque præsentis instituto deservire potest.

4. *Nominis Jus significatio*. — Juxta has ergo duas vocis derivationes, nomen *Jus* duas præcipuas habet significationes, quas adnotavit Driedo, lib. 1 de Libert. Christian., cap. 10. Nam, juxta ultimam etymologiam, jus idem significat quod justum et æquum, quod est objectum justitiæ. Considerandum est autem justitiæ nomen dupliciter accipi. Primo, pro omni virtute, quia omnis virtus respicit et facit aliquo modo æquitatem: secundo, pro speciali virtute tribuente alteri quod suum est. Utrique ergo significationi jus cum proportionem respondet: nam primo jus significare potest quicquid est æquum, et consentaneum rationi, quod est veluti generale objectum virtutis in genere. Secundo, potest jus significare æquitatem, quæ unicuique ex justitia debetur, et hæc posterior significatio magis est in usu: nam jus sic acceptum ad propriam justitiam referri maxime solet. Unde D. Thomas 2. 2, quæst. 57, art. 1, hanc dixit esse primam rationem et significationem juris: et inde optime concludit in solutione ad 2, jus non esse legem, sed potius esse id *quod lege præscribitur*, seu mensuratur. Quod ego censeo cum proportionem esse intelligendum: nam leges pertinentes ad specialem justitiam respiciunt jus speciale, in dicta proprietate sumptum: lex autem in genere, prout in omnibus virtutibus locum habere potest, respiciet jus generaliter, et large sumptum, sicut dixit Cicero, lib. 2 de Legibus, in ipso nomine legis inesse vim justitiae et juris colendi, quia vera lex æquum et justum præcipere debet, ut dixi.

5. *Propria nominis Jus appellatio*. — Et est consentaneum rationi, jure fieri dicitur, tanquam legi conforme. Sic etiam videtur definisse jus Salustius, in Catilinario, cum dixit: *Jus est civilis æquitas, vel scriptis legibus sancita, vel institutis, aut moribus recepta*. Quæ descriptio imprimis de solis legibus civilibus data videtur: si tamen particula illa *civilis* dematur, etiam legibus canonicis et divinis positivis facile poterit adaptari. Legi autem naturali non videtur convenire, nisi eam dicamus esse scriptam in mentibus hominum: nam jus etiam de lege naturali dicitur, ut constat ex titulo de jure naturali, gentium, et civili, de qua divisione infra dicemus. Deinde illa descriptio magis videtur data per effectum legis, quam per propriam ejus rationem. Vel certe videtur magis esse descriptio objecti constituti per legem, quam ipsius legis; quia lex constituit æquitatem, vel est mensura, et regula ejus: non est proprie ipsa æquitas.

7. Addit vero Isidorus, dicto lib. 5 Origin., cap. 3, jus et legem comparari, ut genus et speciem: nam jus vult esse genus, legem vero speciem: et rationem reddere videtur, quia jus legibus et moribus constat. Lex autem est constitutio scripta, et habetur in capit. 2, 3 et 4, dist. 1. Et videtur sequi D. Thomas 2. 2, quæst. 58, art. 1, ad 2, dicens rationem æqui et justitiae, si in scriptum redigatur, esse legem. Et videntur sumpsisse ex Augustino, lib. 83 Quæstionum, quæst. 31, dicente: *Lege jus est quod in eo scripto, quod populo expositum est, ut observet, continetur*. At vero e contrario Cicero, lib. 1 et 2 de Legibus, solam illam putat esse propriam legem, quæ in ratione est: scriptam vero exterius dicit esse populariter legem: unde divinam mentem vocat summam legem, deinde rationem existentem in mente sapientis: legem vero scriptam magis nomine, quam re legem appellari. Jam vero usus obtinuit, ut lex de scripta, et non scripta proprie dicatur, et ita jus prout legem significat, cum illa convertitur, et tanquam synonyma reputantur.

6. *Alia significatio nominis Jus*. — Juxta aliam vero etymologiam, qua jus a jubendo dicitur, proprie videtur jus legem significare: nam lex in jussione seu imperio posita est. Et hoc modo sumunt frequenter hanc vocem jureconsulti, ut quando dicunt, hoc vel illo jure utimur, vel hoc est certi et explorati juris, et similia. Item videtur hoc modo sumi quoties a facto distinguitur, ut cum dividitur ignorantia juris ab ignorantia facti, ut est frequens in jure, et doctoribus: estque titulus de juris et facti ignorantia. Et hinc etiam id quod

8. *Actus judicis Jus significat aliquando*. — Hinc vero derivatum est nomen juris ad alia quædam significata, ad quæ significanda legis vox translata non est: nam hinc actus judicis solet nomine juris appellari, vel quia secundum leges fieri debet, vel quia interdum videtur quasi legem constituere, et sic dicitur judex, cum munus suum exercet, jus dicere; unde est titulus, ff. Si quis jus dicendi non obtinuerit, et capite 2 de Constit., in 6, dicitur: *Extra territorium jus dicenti impune*

non obediri, quod tam de sententia quam de lege, seu statuto intelligi potest. Imo, in lege penult., ff. de Just. et jur., dicitur iudex jus reddere, etiam cum inique decernit, non habito respectu ad id quod facit, sed ad id quod facere debet. Præterea hoc modo dicitur iudex subditum in jus vocare, utique juris exponendi causa, ut dicitur in libro 1, ff. de in jus vocando. Quamvis posset illud intelligi de vocatione ad locum iudicii. Nam vox hæc etiam ad significandum locum, in quo iudicium exercetur, translata est, ut notatur in eadem lege penult., ff. de Justitia et jure, unde apud Latinos, *ire in jus*, idem est quod ad Prætorium, seu sedem prætoris ire, ut ex Donatiano Victore et multis juristis notat Brissonius supra: imo et divus Thomas supra, ad 1, ita interpretatur, cum dicitur aliquis comparere in jure; ubi addit etiam aliam significationem hujus vocis: nam ipsa etiam ars, qua discernitur quid sit justum, dicit aliquando vocari jus. Et sic tacite videtur exponere dictam leg. 1, ff. de Justitia et jure, ubi Ulpianus refert et probat definitionem Celsi dicentis, *jus est ars boni et æqui*: nam hæc definitio non tam ipsi legi quam jurisprudentiæ convenire videtur, nisi ars late sumatur pro quacumque ratione, seu mensura operationis.

9. *Quomodo jus distinguatur ab æquo et bono.* — Duo tandem supersunt declaranda. Unum est, quomodo jus interdum ab æquo et bono distinguatur, si nihil aliud est jus quam ipsum justum, quod etiam est ipsum æquum et bonum: vel, si sumatur pro lege, est ratio ipsius boni et justi, ut diximus. Illa autem distinctio juris, ab æquo et bono, constat ex multis, quæ refert Ludovicus Viv., in Schol. ad Augustinum, libro secundo, de Civitate, capite decimo-septimo. Sic enim dixit Quintilianus, libro quarto: *Judicis natura noscenda est, juri magis, an æquo sit opposita*; et libro sexto, *jure pugnandum, an æquo?* et Cicero, in Bruto: *Crassus multa tum contra scriptum pro æquo et bono dixit.* Hanc ergo dubitationem proponit Aristoteles, quinto Ethic., capite decimo, et in summa respondet æquitatem esse justi emendationem. Ad quod intelligendum, voces justi et æqui, et justitiæ ac æquitatis distinguendæ sunt. Duplex est enim justum: unum naturale, quod est rectum secundum naturalem rationem, quod nunquam deficit, si ratio non erret: aliud est justum legale, id est, quod lege humana constituitur, et hoc, licet in universali justum sit, solet in particulari deficere. Nec propterea lex injusta est, quia

necesse est universaliter ferri: defectus autem (ait Aristoteles) non ex legislatore, sed ex materia ipsa provenit. Et juxta hoc duplex justum, duplex cum proportionem potest distingui justitia: eodemque modo dupliciter solet accipi æquitas, uno modo pro æquitate naturali, quæ eadem est cum justitia naturali, et illi respondet æquum, prout idem est, quod justum naturale; et in hoc sensu loquuntur sæpe civilia jura de æquitate naturali, ut in libro 1, § *Si filius*, ff. de Suis et legit. hæred.: *Naturali æquitate nepotes in filiorum locum succedunt*; et lib. 1, ff. de Requir. reis: *Æquitatis ratio non patitur inaudita causa quem condemnari.* Et huic æquitati respondet æquum generaliter dictum: sicque dicitur in lib. *Nam hoc*, ff. de Cond. indebiti: *Hoc natura æquum est, neminem cum alterius nocumento locupletari.* Atque æquitas hoc modo sumpta non est emendatio juris, sed potius origo seu regula ipsius, juxta l. 91, ff. de Reg. jur.: *In omnibus, maxime tamen in jure, æquitas spectanda est.*

10. Alio vero modo sumitur æquitas pro prudenti moderatione legis scriptæ præter rigorem verborum ejus, et sic dicitur opponi stricto juri, in l. 2, § *Item*, ff. de Aqua pluvia arcen., sicque dixit Terentius: *Inter jus et æquitatem hoc interest, jus est, quod omnia recta et inflexibilia exigit: æquitas est, quæ de jure multum remittit.* Et ab æquitate sic sumpta dicitur etiam quasi per antonomasiam æquum et bonum, quod in se quidem tale est, licet a verbis legis discordare videatur. Et sic sumpsit Aristoteles æquitatem, cum illam dixit esse emendationem justi, utique legalis, virtutemque a qua procedit hic actus vocavit epikiam, de qua disputat etiam divus Thomas secunda secundæ, quæst. 120. Ad illam enim spectat contra verba legis humanæ agere in particulari, quando illam servare esset contra naturalem æquitatem, tuncque iudex dicitur non agere jure, utique materialiter, et ut sonat, sed agere æquo et bono, quod est, jus ipsum juxta intentionem ejus servare, et contrarium agere esset jus violare, juxta illud Justin., cod. de Leg.: *Non dubium est in legem committere eum qui, verba legis complectens, contra legis nititur voluntatem*; et ideo fortasse jurisprudentia dicta est ars boni et æqui, quod in legibus interpretandis bonum et æquum semper intueri debet, etiam si interdum oporteat verborum rigorem temperare, ne ab æquo et bono naturali discedatur. Plura de hac re vide in Covarro, in reg. Possessor, part. 2, § 6, n. 3.

11. *De distinctione inter jus et fas.* — Alterum declarandum est, quid sit fas, et quomodo ad jus et legem comparetur. Ait enim Isidorus, quinto Etymolog., capite secundo: *Fas lex divina est, jus humana*, et habetur etiam distinctione prima, capite primo, ubi hoc exemplo explicatur: *Transire per agrum alienum fas est, jus non est.* Hæc autem videntur intelligenda juxta dicta in proximo puncto, ut ibi jus stricte sumatur pro lege scripta: fas autem pro æquitate, et quasi justa exceptione. Ut in dicto exemplo transire per alienum agrum dicitur non esse jus, quia nimirum lex humana per se potius prohibet illum transitum: tamen si ex rationabili causa absque detrimento fiat, fas est, seu licitum est. Atque ita explicuit Glossa ibi, et Henricus, quodlib. nono, quæstione secunda; at vero D. Thomas, secunda secundæ, quæstione quinquagesima-septima, articulo primo ad ultimum, aliter illa verba exponit. Vult enim, nomen juris secundum quamdam specialem proprietatem magis convenire legibus, quæ ordinantur ad homines inter se, quam legibus, quæ ordinantur hominem ad Deum, quia Deo non possumus reddere æquale, et ideo, inquit, respectu Dei potius fas quam jus appellatur lex. Sed quidquid sit de hac proprietate, quæ non est ab usu Latinorum aliena, Isidorus non appellat fas legem divinam, eo quod circa debitum Deo reddendum disponat; sed quia in naturali æquitate, atque adeo in ratione naturali, quæ lex divina est, nititur. Omissis autem metaphoricis significationibus et distinctionibus, quæ in præsentī instituto non deserviunt, nunc de jure in secunda et propria significatione generaliter loquimur, sicque cum lege convertitur, prout nunc etiam de illa universaliter tractamus.

CAPUT III.

QUANTA SIT NECESSITAS ET VARIETAS LEGUM.

1. Explicatis nominibus juris et legis, antequam inquiramus quid lex sit, oportet prius ostendere illam esse; quod optime fiet ejus necessitatem declarando, quia in his rebus ad institutionem morum pertinentibus, nec aliquid superfluum admittendum est, neque id quod necessarium est deesse potest. Solet autem distingui duplex necessitas: una absoluta, secundum quam dicitur res aliqua per se, et propter se simpliciter necessaria: quomodo Deus habet necessitatem essendi secundum

existentiam actualem, de qua loquimur: alia est necessitas respectiva in ordine ad aliquem finem, vel effectum, quæ duplex subdistinguitur: nam quædam est necessitas simpliciter; alia ad melius esse, quæ proprius est utilitas.

2. *Lex absolute non fuit necessaria.* — Duo ergo in generali videntur certa. Primum est, necessitatem absolutam legi non convenire, quatenus lex est. Probatur, quia talis necessitas est propria Dei, qui solus est ens per se, et absolute necessarium: lex autem omnis vel est aliquid creatum, vel certe supponit aliquam creaturam, propter quam feratur, Deus enim non est capax legis: ergo sicut creatura non est simpliciter necessaria, ita neque lex: Ad præterea, loquendo de propria lege, de qua nunc agimus, tantum esse posse propter creaturam rationalem: nam lex non imponitur, nisi naturæ liberæ, nec habet pro materia nisi actus liberos, ut infra videbimus; ergo non potest esse magis necessaria lex, quam sit rationalis, vel intellectualis creatura: at creatura rationalis non habet absolutam necessitatem essendi: ergo nec lex habet hujusmodi necessitatem. Solum poterat hic oriri dubium de lege æterna, quam nunc esse suppono: illa enim est Deus ipse, et ideo est tam immutabilis et æterna, sicut ipse, ac subinde tam necessaria. Sed dico breviter rem illam, quæ est lex æterna, esse absolute necessariam, ut probat argumentum: tamen sub ratione legis non habere absolutam necessitatem, quia includit respectum liberum, ut infra ostendam.

3. *Lex supposita creatione creaturæ rationalis fuit utilis, et absolute necessaria necessitate finis.* — Dico secundo: Supposita creatione rationalium creaturarum, lex fuit necessaria necessitate finis, tam simpliciter quam ad melius esse. Hæc veritas est tanquam principium per se notum in hac materia, et quoad priorem partem de necessitate simpliciter declarari potest, quia intellectualis creatura eo ipso quod creatura est, superiorem habet, cujus providentiæ et ordini subjaceat, et quia intellectualis est, capax est gubernationis moralis, quæ fit per imperium: ergo connaturale est et necessarium tali creaturæ, ut subdatur alicui superiori, a quo per imperium seu legem regatur. Item talis creatura eo ipso quod ex nihilo facta est, flecti potest ad bonum et malum, ut ex communi Patrum sententia nunc suppono: ergo non solum es capax legis, qua dirigatur ad bonum, et arceatur a malo, sed etiam aliqua talis lex est illi simpliciter necessaria, ut convenienter suæ naturæ vivere